Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

V. Dispvtatio De Extrema Vnctione ...

Andreä, Jacob
Vogel, Paul

Tubingae, 1574

urn:nbn:de:bsz:31-128862

Visual Library

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

60 A 2690 R

Sum
M. Caroli. 1.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

V. DISPVTATIO DE EXTREMA VNCTIONE.

Diuino fauente Numine:

PRAESIDE REVERENDO ET CLARISSIMO VIRO, IACOBO ANDREAE, S. SANCTAE *Theologiæ Doctore & Professore, Ecclesiæ atq; Academiæ Tubingensis Præposito & Cancellario dignissimo, Præceptore suo obseruando,* M. PAVLVS VOGEL *Gærlingensis, ad subiectas Theses Nonis Iunij, hora & loco solitis, exercitij causa respondere conabitur.*

TVBINGÆ,
M. D. LXXIIII.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

V. DISPVTATIO DE EXTREMA VNCTIONE.

THESIS I.

CVM vtroq; modo contra Deum peccetur, quando sine verbo Dei cultus diuinus instituitur, aut sacra diuinitus ordinata abolentur: quid de consueta extrema, vt vocant, vnctione, homini Christiano sentiendum sit, hac disputatione expediemus.

2.

Hanc Doctores scholastici dicunt esse Sacramentum, per quod ægroto & peccatorum remissio, & corporalis infirmitatis alleuiatio, si expediat, conferatur.

3.

Constat autem, iuxta eorundem doctrinam, oleo per Episcopum consecrato, & hac verborum forma: *Per istam sanctam vnctionem, & pijssimam suam misericordiam indulgeat tibi Deus, quicquid peccasti per Visum, per Auditum, Odoratum, Gustum, Tactum.*

4.

Quod etsi absolutè ad æternam vitam consequendam necessarium non esse fatẽtur: non tamen ex contemptu, vel negligentia omittendum esse, docent.

5.

Eius institutionem ad Christum tanquam authorem referunt, qui hoc Apostolis suis præcepisse perhibeatur.

6.

Accidit autem Vnctioni in populo Dei consuetæ, quod alijs quàm plurimis, sua natura suoq; ordine minimè reprehendendis, vt circumstantijs non probè consideratis, opinione hominum peruersa aliquid vitij contrahant, aut prorsus in alienum vsum conuertantur.

7.

Marc. 6. Nam quòd Marcus Euangelista testatur, Apostolos in curatione ægrotorum oleum adhibuisse: non tanquam Sacramentum à Christo institutum prædicabant, sed ad Euangelij doctrinam confirmandam miracula ædebant.

8.

Quod donum aliquandiu in primitiua Ecclesia cùm permansisset, vt infirmorũ fidei mederetur Deus
Iacob. 5. per miracula: D. Iacobus ægrotis vnctionem hanc ad valetudinem recuperãdam nequaquam negligendam docuit.

9.

Postquam verò hoc donum, vt alia quàmplurima, remisit, posteritas cerimoniam à maioribus vsurpatam retinuit.

10.

Et cùm sanitatem corporis non amplius præstaret ægrotantibus, horribiliter deprauata, & in vsum à voluntate Christi & praxi Apostolorum alienissimum, conuersa est.

11.

Mar. 6. Iac. 5. Cùm enim iuxta Marcum & D. Iacobum ad corporis valetudinem recuperandam ab Apostolis fuerit

ægro-

ægrotantibus adhibita: sollicitè sacrificulis iniunctum est, ne cui hoc sacrum vnctionis Sacramentum conferant, de cuius vita spes aliqua restet.

12.

Et forma ipsa Sacramenti huius à sacrificulis conficta, nihil de corporis sanitate, sed de peccatorum remissione tantùm loquitur.

13.

Quę forma, cùm neq; Christi, neq; Apostolorum, nec primitiuæ Ecclesiæ vllum testimoniũ habeat, tanquam traditio humana ex Ecclesia Dei eliminanda esset, si nulla neq; superstitio, neq; impietas accessisset.

14.

Non enim est in potestate hominis, Sacramenta in Ecclesia Dei instituere, per quæ Deus remissionem peccatorum hominibus applicet.

15.

Accedit autem ad hanc temeritatem Magica quoque incantatio, qua, non oleum simplex, sed Magica incantatione conspurcatum ægrotantibus tanquam idolum proponitur.

16.

Prius enim ab Episcopo consecratur, ipsiusq; murmure incantatur, & nona vice genu flexo salutatur, cùm ter ait: Aue sanctum Oleum, Aue sanctũ Chrisma, Aue sanctum Oleum. Quæ salutatio nihil aliud, quàm idololatrica incantatio est: vt nihil dicamus de impio exorcismo, quo creatura Dei horribiliter contaminatur. *In Pontificali de officio quintæ Feriæ in cœna Domini.*

17.

Cùm igitur scriptum sit: Fugite idola: omnibus 1. *Ioan.* 5.

Christianis in agone constitutis, fugienda, abominanda & detestanda est hæc sacrificulorum impia vnctio.

18.

Nequaquam autem propterea veram vnctionem prohibemus, quæ pijs omnibus omni tempore, maximè autem cùm ex hac vita sibi emigrandum vident, non contemnenda aut negligenda est.

19.

1. Ioan. 2. Ea autem est, de qua Apostolus loquitur, cùm inquit: Non necesse habetis, vt quisquam doceat vos, sed sicut ipsa vnctio docet vos de omnibus, & verax est, & non est mendacium, quod vos accepistis & manet in vobis.

20.

Hæc vnctio est ipse spiritus Christi, quem Deus
Galat. 4. misit in corda nostra: sicut scriptum est: Quoniam estis filij, emisit Deus spiritum Filij sui in corda nostra, clamantem, Abba pater.

21.

Ioan. 3. Hunc Christus cùm non ad mensuram accepisset,
Esa. 61. κατ' ἐξοχὴν Christus Messias vnctus dicitur: de quo
Dan. 9. Esaias: Spiritus Domini super me, eò quòd vnxerit me. Et Daniel: Et vngatur sanctus sanctorum.

22.

Hic sua passione & morte nobis hanc vnctionem impetrauit, vt verè vncti & Christi Dei dicamur: iu-
Psal. 105. xta illud: Nolite tangere Christos meos.

23.

Hanc vnctionem in Baptismo acceperunt fideles, cùm non modò in nomen Patris & Filij, sed etiam Spiritus sancti baptizati sunt.

Ea cum

24.

Ea cum vel amissa videtur, vel minus firmiter nobis inhærere, prædicatione verbi & legitimo vsu Sacramentorum, quæ à Christo instituta sunt, renouanda & confirmanda est.

25.

Nam verbo prædicato Messias sanctus sanctorum adest, & suam sanctitatem per virtutem sui spiritus applicat, cuius virtute etiam caro ipsius viuifica facta est. *Ioan. 6.*

26.

Eandem vnctionem per Sacramenta in electis confirmat, dum ipse præsens seipsum credētibus communicat, in quo tanquam membra vnctionis eius quoq; participes fiunt.

27.

Id cùm omni tempore necessarium sit, maximè tamen exercendum & nequaquam intermittendum est, cùm ex hac vita in cœleste & æternum Tabernaculum concedendum est.

28.

Ibi enim vnctione, hoc est, certitudine gratiæ Dei nobis opus est, vt cum fiducia & certitudine fidei ad thronum gratiæ accedamus, cum habeamus sacerdotem magnum domui Dei præfectum. *Heb. 10.*

29.

Quisquis enim de misericordia & gratuita remissione peccatorum incertus est, eum intrepidè mori impossibile est.

30.

Nam etsi humana audacia simulare contemptum mortis

mortis potest, cordis tamen tranquillitas & alacritas nulla est, sine vnctione Spiritus sancti, qua propter Christum de gratia Dei certificamur & obsignamur.

31.

Hanc certificationem conscientię nostrę cum Papistici sacrificuli partim ignorent, partim etiam apertè oppugnent: quid quæso aliud agunt, quàm vt vnctos suos ad gehennam mittentes, oleum camino addant?

32.

Et digna est duplici pœna impietas, quæ in manifesta luce cæcutire mauult, quàm Deo laudem veritatis tribuere.

33.

Quoties igitur in cœtu Christianorum vnus plúresue graui corporis morbo affliguntur: prima medicina in verbo Dei quærenda est.

34.

Qua in parte non vno modo peccatur, quòd interdum inuitis ægrotis, ministri accersuntur non ad docendum, sed sine doctrina ad Eucharistiam, iam iam animam exhalanti, exhibendam, & Ecclesiarum ministri negligenter officium faciunt.

35.

Quemadmodum autem in tempore vocandi sunt ministri, vt ægrotantem docere possint: sic ijdem sese minimè difficiles præbere debent, vt ægrotantibus consolatione adsint, quæ ministerij ipsorum pars est non postrema, & longè saluberrima.

36.

Et feces Pontificias spirant, qui accessum ministro-

rum

rum reformidant, quasi certissimam mortem domo adferant, ad ægrotum vocati.

37.

Quibus longè intolerabiliores sunt, qui adeò tenerè ægrotantes tractandos censent, vt sollicitè caueant, ne vox mortis inconsiderata illis excidat, & ęgrotantes terreat.

38.

Hinc etiam reuerentia Papistarum erga diabolos, quos in Papistico cœtu vix pro concione appellare licet, sed periphrasi & circumscriptione vtendum: vt Malignum seu Malum potius appellemus, quàm Diabolum, ne Papistarum corda metu aliquo percellantur.

39.

Nam ad compellationem diaboli statim contremiscunt, cruces innumeras fingentes & facientes, ne fortè à diabolo auferantur.

40.

Qui metus vanitatem vnctionis Papisticę demonstrat, eosq́ę vera vnctione vacuos docet, vtpote qui ne quidem nomen diaboli sine metu sustinere possint.

41.

Contrà verò pij homines, cùm per veram vnctionem certi sint, diabolum laruatum, eiq́ę omnem potestatem ademptam, non modò non reformidant nomen eius, sed eidem etiam spiritus πληροφορίᾳ tanquam victo hosti insultant. *Ioan. 16.*

42.

Quando igitur apud ægrotos pij & fideles conuenerint, & præcunte Ecclesiæ ministro salus ægrotan-

tis pia precatione Deo commendata est, & Sacramento cœnæ Domini confirmata, sese ægrotus satis superq; vnctum esse minimè dubitet.

43.

Eccle. 38. Interim verò externa vnctio nequaquam negligenda est, quam dicimus Medicinam, quæ ad depellendum morbum adhibetur.

44.

Ea autem non præpostere, sed in fide vtendum est, vt videlicet cura animæ præmittatur semper, & illius virtus Dei liberrimæ voluntati tribuatur.

45.

Roma. 8. Quid enim nobis expediat, optimè intelligit, & pro sua voluntate etiam diuturnos morbos pro salute suorum fidelium disponit.

46.

Sic animus hominis Christiani ad patientiam confirmatus, vel obedientiam Deo præstat in vita, vel eidem alacriter occurrit in morte: vt siue viuat siue moriatur, Spiritu sancto verè vnctus Domini sit.

FINIS.

ctione.
st, & Sacramen
grotus satis su

uaquam neg
, quæ ad dep

e vtendum e
mper, & illi
r.

intelligit,
bos pro salu

patientiam co
t in vita, vel e
iue viuat suæ
vnctus

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg